



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]

Baldi, Camillo

[Bononiae], 1629

[De chyromantum decretis disputatio. Cap. XXV.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13286

De chyromantum decretis disputatio. Cap. XXV.

Postquam extremam, ut dicitur manum imposuiffem huic tractatui; Mandatum fuit ab his, quibus non obedire mihi nefas est, ut iterum atque exactius examinarem hæc chyromantum decreta; & eorum rationes si quas haberent, referrem, & relatas reicere, & explodere tentarem; Dixi me de his supra in cap. 10. satis superque disputasse; iterum hæc referre esse acta agere; Verba mea admiffa non fuere, & severe iussum fuit, ut omnino id agerem, & dicta chyromantum denuo examinarem, & confutarem; Demisi auriculas, & quod potui exequutus sum; si cui igitur aliquando viderer superfluous, & diceret stomachosus.

Occidis miseros crambe repetita magistros.

Responderem maioribus obsequendum; meliusque esse obedire quam sacrificare, ut aliquando dici audiui; Aggrediamur igitur opus, & si in capite 10. dicta vera, & bona fuere, poterant non displicere; & repetita etiam placebunt; sin autem nihil in eo cap. habetur, quod intellectui satisfaciat, forsan quæ hic vberius explicabuntur, arridebunt. Putavi ego semper, & nunc etiam puto minimum veritatis reperiri in responsis singularibus astrologiæ, pyromantiæ, hydromantiæ, geomantiæ, necromantiæ, ac demum omnium sortilegiorum, quæ præsumunt de singularibus futuris contingentibus aliquid certi enunciare, contradixi his supra vniuersaliter; Nunc operæ pretium est eos audire qui contraria sentiunt; Igitur si qui vnquam hæc legerint, tantumq; otij illis suppetet; Ex his forsan intelligent.

Me nõ omnino carpendum esse, si morose nimis videar, insultasse in chyromantum placita cum eorum de vnguibus, & vnguium maculis assertions damnaverim, ut potè qui putauerim nihil ex vnguibus vnguiumque passionibus conijci posse. Non tamen nego, quin naturaliter ex eorum contemplatione, & inspectione cognosci quædam possint; Quod do-

cuit

cuit Hippocrates, & id ego etiam fateor. Sed de vnguibus
 duo praedicatorum genera asseri posse arbitror, rationabile
 alterum, & alterum irrationabile, priora amplector, poste-
 riora reiicienda, & explodenda opinor, idque tum commu-
 ni dicto, quod est, erubescendum esse ijs, qui sine ratione lo-
 quuntur; tum Aristotelis auctoritate, qui 8. Phys. contra
 Empedoclem disputans, ait, nullam propositionem non per
 se notam, quasi dignitatem, & tanquam per se notam sine
 aliqua probatione admitti debere; siue (vt ait Aueroes) a
 priori, siue a posteriori oriatur probatio. Sed ne videamur,
 quod aiunt chyromantas inauditos condemnare, audiamus illos,
 vt & nos audiamur. Dicent chyromantæ, si
 vngues vnguamque passiones nihil indicare putabas, cur
 tempus terendo de his egisti? Si aliquid ostendere credis
 cur nunc damnas? Possem respondere, quoniam puto vn-
 guum passiones aliquid indicare, ideo de illis mentio facta
 est, at quoniam non puto ea omnia, quæ chyromantæ di-
 cunt esse vera, ideo ea ipsa explodo, vt pote quæ sine ratio-
 ne enuntiantur. Amplius praedicata quæ de vnguibus di-
 cuntur alia sunt penè necessaria, & causam habent internam,
 vt in hectica febre vngues incuruari, & liuorem in laboran-
 tibus acuto morbo indicare mortem esse propinquam, cum
 naturalis calor iam extinguatur. Alia sunt non necessaria,
 sed tamen aliquod habent rationis vestigium, qualia sunt
 accidentia, quæ a necessario deficiunt, quoniam impediri
 possunt, vt paruos, & molles vngues arguere debiles tendi-
 nens, quare corporis imbecillitatem, & carnis mollitiem;
 Ast hoc forte non erit, quoniam labore, & exercitio factus
 est in oppositam dispositionem transitus; At tertia prædi-
 catorum species, quæ nullam penitus rationem, nullumque
 nexum cum subiecto de quo dicuntur, habet, cur creden-
 da sit, non video.

Talia sunt chyromantum placita; Vt cum dicunt, alba
 stigmata in vngue indicis indicare honores, & dignitates;
 Nigra infamiam, & depressionem, paruos vngues maleuo-
 lum

lum, & contentiosum significare, & his similia, quæ quamvis speciosa videantur, in his tamen nihil est, quod intellectui satisfaciatur, & profecto non videntur credenda. Secundo dicunt, omnis actio, electio, & omnis humana facultas, & deliberatio bonum quærit, idque sibi proponit, bonum, & verum sunt idem, & conuertuntur, chyromantia est actio, & facultas quædam, ergo bona est, (à fine enim res denominatur) si bona ergo vera, ergo quæ chyromantæ afferunt erunt vera. An sicuti duplex bonum, aliud simpliciter, aliud secundum quid, & illud per se, & certum, hoc vanum, & apparens, ita etiam de vero sentiendum est; Cupit vinum pleuriticus, & hoc illi est mortale igitur bonum non est hoc, sed apparens, & fallax: Ita verum dicitur multipliciter, aliud necessarium, qualia sunt prædicata omnia per se, de omni, & vniuersaliter de subiecto (loquor autem de vero complexo, quod in enunciationibus reperitur) & de hoc vero sunt demonstrationes, & scientiæ. Alterum est non necessarium quidem, attamen contingens ordinatum, quod est in pluribus, & probabile vocatur, vt filium mihi nasciturum cum quinque digitis in manu, in diebus brumalis solstitij futuram glaciem, & frigus. Tertia veri species ea est, quæ ab intellectu determinatur, siue per artem, siue per prudentiam, & appellatur verisimile; vt senes esse parcos, pueros, & fœminas garrulas; Circa igitur ordinatum contingens versantur hæc duo veri genera. Quorum vnum est à natura, alterum ab intellectu, Natura, & intellectus possunt impediri, ne suum finem consequantur, magis tamen intellectus quam natura, ideo dicimus, quæ à natura faciendæ sunt, vocari probabilia, quæ autem ab intellectu esse vero similia; Vt statuam, quam faciet Polycletus verisimile est futuram pulchram, quoniam est bonus statuarius; Vltimum dicitur verum apparens, & sophisticum in quo nulla ratio, nullum apparet medium, quo subiecto nectatur prædicatum. De hoc genere sunt chyromantum, Astrologorum, & haruspicum, & magorum placita, in quibus nihil veri nihil

hil probabilis, aut verisimilis existit, & apparet ijs, qui mente constant.

Inquiunt demum Deus, & natura nihil faciunt frustra, stigmata, & cæteræ vnguium passiones sunt à Deo, & à natura, ergo non sunt frustra, effectus igitur naturæ, ergo formæ vel materiæ, ergo subiecti in quo sunt, & essentiam, & operationes denotant. Dicerem naturam non impeditam, suo fine nunquam frustrari, & quoniam contingit naturam, & præsertim particularem plerunque impediri, ideo frustrari, & cæptâ amphorâ in vrceum exire; talia sunt hæc stigmata, quæ à natura impedita nascuntur, & casu facta dicuntur, quorum nulla scientia est, nullaque cognitio, sunt enim infinita casualia, & quare sciri nequeunt.

Amplius differt dicere aliquid esse secundum naturam, & à natura, & præter naturam; secundum naturam homo habet vngues, à natura quod sint longi, vel lati, curui, aut recti, at præter naturam liuidi, vel nigri, quod autem sint puri, vel stigmatibus insigniti, non est secundum naturam, neque præter naturam, sed à natura quidem, & forte aliquid significant, vt pituitam, vel bilem præualere in tendine, non ideo tamen ea omnia, quæ dicunt chyromantæ. Multæ enim sunt causæ, à quibus natura potest impediri, nè suum exquisite consequantur finem.

At dicere quod albæ maculæ faciant fortunatum, nigræ infortunatum, profecto esset infortunium illius, qui hoc crederet, vel vt causa, vel vt signum. Ego sane arbitror non solum ex communibus, sed ex proprijs etiam ostendi posse hanc propositionem, esse verissimam.

Vnguium figuræ, passiones, & maculæ non sunt indicia vllius futuri, singularis, contingentis fortuiti, quod de subiecto cuius sunt vngues rationabiliter determinari possit. Pro cuius effati probatione suppono. Contingens futurum dici id quod non est; sed si ponatur esse nullum sequetur absurdum. Quare cum possit adesse, & abesse, accidens est eius, cui aduenire potest; Hoc autem duplex est, alte-

rum habet causam in eo cui adesse potest, quod dicitur contingens ordinatum de quo dictum est supra. Ut hic puer senescet; fiet enim nisi perierit. Alterum vocatur inordinatum, non enim causa vlla est in subiecto, cui dicitur aduenturum, propter quam potius hoc, quam oppositum illi eueniat; Ut Socrates in militiam proficiscens fiet diues; de hoc singulari fortuito contingenti nobis est sermo, de quo nihil certi prædici posse asserimus, & contradictionis de hac materia pronunciatæ pars neutra est determinate vera, alterutra attamen, sed indeterminate, vt in lib. Periermenias docetur.

Causa propter quam de futuris contingentibus singularibus nihil certi asseri possit hæc est, quoniam non sunt; Non enim autem secundum quod non sunt, nihil vere prædicari potest, nisi quod non sunt; quare cum dico cras Achilles vincet Hectorem, cras non vincet Hectorem, Antequam craftinus adueniat dies nihil affirmari, nihil verè à quoquā negari potest ante pugnam, nisi forte ex aliqua coniectura posset quidam credere magis affirmationem, quam negationem, sed hæc suspicio est, non scientia, aut rationabilis opinio; Quod si hæc suppositiones veræ sunt, manifestum etiam erit susceptam propositionem esse veram; & primum ex Aristotele secundo Physicorum. Omne fortuitum est à casu, quæ à casu ea indefinita sunt, & ignota per se, quare, & homini immanifesta, quæ à chyromantis asseruntur sunt fortuita, ergo homini immanifesta, ergo neque sciri neque prædici possunt. Ut Socratem in militiam proficiscentem reuersurum esse, nec periturum. Quod si hæc neque sciri neque prædici possunt, qui hæc tentant, quasi Gigantes cum Ioue pugnaturi quærent super imponere Pelion ossa.

Amplius si complexa veritas est adæquatio rei cum intellectu, quando res non est, cum illa non adæquabitur intellectus, singularia contingentia futura non sunt, antequam fiant præsentia, ergo cum illis adæquari mens non potest, aut dicere quod hoc erit, aut non.

Et

Et natura contingentis singularis inordinati hæc est, vt eius neutra pars contradictionis sit determinate vera, vel falsa vt dictum est prius. Nam si altera pars posset dici determinate vera, haberet aliquam rationem, ergo esset contingens ordinatum, at supposuimus esse inordinatum; ea autem dicuntur inordinata esse, quæ non habent rationem, & causam propter quam sic magis, quam aliter sint disposita, secundum prius, & posterius, etenim inter causam, & causatum est ordo. Ex natura igitur fortuiti singularis contingentis inordinati colligitur, chyromantum assertions, quæ de his rebus sunt esse omnino vanas. Adde singularia quatenus talia sũt infinita, quare nec sciri, nec numero, aut mente comprehendi possunt; Et cum non sint, de his nulla propositio vniuersalis, quæ sit vera formari potest; Nam ex Aristotele, omnis propositio vniuersalis contingens semper est falsa; Adde quod singularia indiuidua quatenus talia sunt, cõstant ex tot proprietatibus, quarum collectio in vltio alio reperiri non potest. Quare quamuis in Socrate sit idem accidens, quod in Platone apparet, diuersitas tamen aliarum proprietatum, in quibus non conueniunt Plato, & Socrates, adeo auget, minuit, peruertit illud accidens vtrique commune, vt neque idem indicare, neque causare possit, est vtrique acutissimus nasus; hoc dicit Aristot. esse magnæ iracundiæ signum; ast non ideo vterq; eodem modo est iracundus, nam Socrates dedit operam Philosophiæ, & temperamenti est pituitosi cum subdominio melancholiæ; quare totus est mansuetus, & patiens, Plato biliosus est, & militaris. Cum itaq; Socratis omnia accidentia posita simul in Platone esse nequeant; Aliter Plato non esset Plato, sed Socrates, manifestum est quod quæcunque de Socrate, prædicantur, & singillatim, & admodum Platoni accomodari non possunt. Quò fit vt nullum formetur vniuersale, & omnis scientia, & facultas sit nulla, quæ de his tractat singularibus.

Sed forte ex magis proprijs id ipsum etiã confirmari po-

test. Principia propria alicuius cōclusionis ea dicuntur propter quæ prædicatum inest subiecto, hoc est quæ sunt causæ propter quas prædicatum dicatur huic adesse, causa duplex altera essendi, altera cognoscendi, vtraque medium dicitur, quare omnis quæstio est medij quæstio. Si ergo erit aliquod medium, quod subiecto iungat prædicatū, profecto aliquid de futuris contingentibus singularibus præsciri poterit, at si non est medium, neque vt causa essendi, neque vt signum cognoscendi; vanum erit credere, quod certi aliquid prædici possit. Dicit chyromantes Achilles superabit Hectorem in singulari certamine, quoniam habet maculam albam, & radiosam in parte externa vnguis pollicis. Ita igitur ille syllogizabit, omnis habens albam maculam radiosam in vngue pollicis fiet victor in futuris certaminibus; Achilles habet has maculas ergo erit victor in futura pugna cum Hectore; Minorem confirmat visus; At maiorem non ratio, non experientia confirmabit, aut quæ ex experientia nascitur, inductio; Neque enim inductio certum, & stabile colligit vniuersale, nisi ceperit indiuidua, vt talia quædam, non autem vt hæc aliqua. Exempli gratia colligo ego, omnes homines natura quærere scientias, inducens Socratem, Calliam, Platonem esse homines, & eosdem cupere scire, sed scire cupiunt, non quatenus hic est Plato, ille Callias, sed quatenus tales sunt, nempe rationales; quare merito inductio ad syllogismum reduci dicebat Aristoteles, & esse principiorum syllogismum; per inductionem particularia enim cognoscimus speculando propter quid omnis homo scire cupiat; Huius propositæ quæstionis extrema sunt, Achilles, & futurus victor in certamine, medium macule albe in pollice, at hoc medium nullam habet connexionem cum victoria futura, non vt causa, non vt signum, neque ex eadem coordinatione sumptum est, nihil igitur concludet, causam nemo audebit dicere, quoniam ex definitione macularum huiusmodi nunquam inferes victoriam; sicuti ex iugulatione mortem; Causa igitur hæc non est, nisi forte per
 acci-

accidens quare infinita, & ideo ignota; Neque ut signum, nam si macula alba radiofa in pollicis ungue existens effet victorię signum vel per se, & necessarium, vel non per se, verum per accidens, si per se, ergo futura victoria in sua ratione acciperet hominem habentem maculam albam in pollice, effet enim prædicatum in secundo modo dicendi per se, quod si hoc non est, ergo erit prædicatum per accidens, indeterminatum igitur, & indefinitum, & ignotum; Non enim de his prædicatis est scientia, ut testatur Aristoteles, & in primo Priorum, & Posteriorum, & in secundo Physicorum. Si ergo ex eadem coordinatione non sunt macula alba in pollice, & victoria in pugna manifestum est, quod nihil commune est inter medium, & maius extremum, quare neque ex his maculis poterit chyromantes inferre futuram Achillis victoriam; Innata .n. nobis est via, ut per hoc principium ad hoc medium, & per hoc medium ad hunc finem veniamus, hæc autem sunt necessario inter se coordinata, neque est medium nisi extremorum medium, & nisi extrema fuerint, non erit medium; Quę coordinatio non est voluntaria, & secundum placitum, aut pactum nostrum, sed oportet, ut sit realis, & in re ipsa existant medium, & extrema, cum ergo victoria futura nihil comune habeat cum stigmatibus, neq; stigmata cum victoria, ex stigmatibus velle victoriam inferre profectò est ridiculum. Dixeris forsan esse accidens non necessarium, sed contingens in pluribus, & conclusionem non necessariam, sed probabilem inferri; At Aristoteles docuit nos primo priorum contingens ut in pluribus habere causam, & ideo dici ordinatum, & quoniam huiusmodi contingens habet, causam, ideo habet medium, quare de hoc contingenti plurimas facultates, & artes tractare, & de hoc fieri syllogismos, & contemplationes affirmat, sed dictum est, maculam cum victoria comparatam esse contingens inordinatum, neque causam victorię, neque signum per se esse illius. Amplius ostensum est albam maculam in pollice existentem esse portionem excrementi pituitosi,

quod

quod fugit actionem caloris naturali, tendinis seruiantis motui pollicis; ex qua definitione Sole clarius apparet, maculam hanc albam, cum victoria futura Achillis nihil habere commune, nihilque de hac futura pugna, quod sit certum, praedici, aut praesciri posse à chyromantis.

Dicunt stellas, quæ destinarunt Hectorem ab Achille superandum, easdem signasse Achillis pollicem. Misera, aut valde ociosa stellæ, quæ in his occupantur quisquilijs, nobilium nobiles sunt actiones, nobilissimæ sunt stellæ inter entia, vt dicitur secundo Cœli ergo in his nugis non occupantur; Scilicet hic stellis labor est, ea cura sollicitabit celestia corpora? An accidet, quod de Ioue dicit Lucianus suo; illum detineri circa pingendas alas papilionum, sed ad rem; Hanc puto esse certissimam, & indubitatam petitionem principij, dicere stellas determinasse vincendum Hectorem ab Achille; Primum quomodo hoc sciri potest? quoniam neque stellæ vnquam habuerunt inter se hanc habitudinem quam nunc habent, neque Achilles, & Hector alias fuerunt.

Addæ causæ æternæ, & per se faciunt effectus necessarios, & æternos, & per se, Achilles, & illius victoria est quid contingens, & Achilles indiuiduum, & ens corruptibile, & per accidens, nō ergo huius victoriæ causæ sunt astra; Dicere igitur destinatum fuisse Hectorem superandum, & hoc esse decretum stellarum absurdum est, nam vniuersalium, & æternorum vniuersales, & æternæ sunt causæ, singularem singulares, non ergo stelle victoriam Achilli decernunt singulari indiuiduo contingenti, & enti per accidens.

Addes, continuum esse inferiorem hunc mundum superioribus latioribus, vt omnis eius virtus inde pendeat; Verissimum est, & Aristotelicum placitum sed pendent hæc inferiora ab illis superioribus vniuersaliter, nō particulariter, & vt talia, nō vt hæc aliqua. Dices particularia subuniuersalibus sunt, quare, quæ de vniuersalibus, ea de particularibus necessario dicentur, ait Aristoteles in prædicamentis.

bonp

Ani-

Animal dicitur de homine, ergo & de quodam homine, nam si non de quodam, ergo de nullo diceretur, quare neque homo esset animal; Quapropter si astra astrorumque dispositio, & influxus causa est, quod Turce peste laborent in Constantinopolitana vrbe, erunt etiam causæ, quod ille Bassa, siue dux exercitus peste consumptus fuerit, nam nisi aliquis particularis Turca peste periret, ergo etiam nullus periret, At suppositum est illos peste perire. Vt nodus hic soluatur. Sciendum est Aristotelem in primo priorum nos docuisse; Quod si in prima figura, & primo eiusdem modo fiat iugatio ex maiore necessaria, & minore contingenti sequetur conclusio contingens, & de contingenti, quod per deductionem ad impossibile ostendam; Sit propositio de necessario omne b. necessario est a; & de contingenti contingit quoddam c, esse b. dico sequi, ergo contingit, quoddam c, esse a, quare & contingit quoddam c. non esse a. Natura enim hæc est contingens, & præsertim inordinati, vt cum opposito conuertatur, vt contingit quemdam hominem esse sanum, ergo & contingit quemdam non esse sanum; causa est, quoniam contingens est id, quod non est, sed si ponatur in esse nullum sequitur absurdum; quare cōtingens quò magis est contingens eo minus existit verum.

Quod autem prædicta conclusio, quæ est contingit quoddam c, esse a, sit vera probatur, nam nisi hæc sequatur, eius contradictoria sequetur, quæ est quoddam c non contingit esse a. Impossibile igitur quoddam c, esse a, necessario igitur non quoddam c, est a. Nullum ergo c, est a, & omne b, est c, ergo nullum c, est b, quod contradicit minori primi syllogismi, dicentis quod continebat quoddam c, esse b, nunc autem conclusum est necessario nullum c, esse b.

Cælum est causa vniuersalis, & eius effectus impediri vniuersaliter non potest, at particulariter, & in aliquo singulari potest. Verum est, quod existente sole in tauro florebut arbores, at non florebit ficus, non pinus; dices florebut pira, poma, oleæ, at neque omnes, nam quæ sunt in locis

cis

cis frigidis, neque à Sole calefactis, & quæ aut frigore, aut senectute penè exaruerè non florent; Atque hæ arbores non florent, cum male sint affectæ, quare vim solis non recipiunt, omne enim recipiendum se se habet per modum recipientis. Patet igitur quod ex cœlo stellisque quamuis necessarijs effectus contingentes, & non necessarios, qualia sunt hæc nostratia, sequi posse.

Magna profectò esset peritio principij si quis vellet stellas in nostros vngues, modo albas, modo nigras maculas inducere, & has abolere illas imponere prout res sunt futurae.

Individua hæc corruptibilia in tantum stellis parent, & subiiciuntur, in quantum de illo vniuersali participant, sub quò continentur. Vt accedente Sole ad nostrum punctum verticalem nos incalescemus vehementer, at non omnes sed hic magis, ille minus, vel propter huius naturam, aut propter suam industriam, cum sibi cauere sciat. Credere ergo quod omnia singularia à Cœlo cœlestibusq; pèdeât, & causentur influxibus, est dicere quod omnia fato fiant, nihil esse à Fortuna, nihil à consilio, quod est tollere libertatem actionum, atque ipsum arbitrium liberum; Dictum non solum irrationabile, sed etiam impium. Vniuersum omnia continet, est id quod semper est, quare necessarium, est id quod non semper est, & quod vocatur contingens.

Igitur si tria necessario reperiuntur, vnum quod semper quiescit, alterum quod semper mouetur, necesse est etiam (vt docetur secundo Priorum) esse tertiū, quod non semper moueatur, neq; semper quiescat, si enim contraria sunt, necesse est, & media esse; & hæ sunt tres Poetarum Parce Atropos, Cloto, Lachesis duo necessaria, & medium contingens.

Quid igitur sint vngues, & horum stigmata, quid indigent, & quid non, & quod ad naturalem Philosophum pertineat hæc contemplatio, ex his puto manifestum, & chyromantū placita nihil veri, nihil sani in se habere ostensū est.

F I N I S.